

B. h. II, 57.

X 1876050

II R  
1526

h. 8, 19.

DISPUTATIO HISTORICO-PO-  
LITICA

De

TRANSLATIO-  
NE ROMANI IMPERII  
A GRÆCIS AD GERMANOS ET  
DE INSTITUTIONE COLLEGH  
ELECTORALIS.

*Quam*

*Annuente divinâ gratiâ*

*In florentissimâ Academiâ VVittebergensi*

SUB PRÆSIDIO

VVILHELMI NIGRINI

Professoris Moralium Publici


*Publicè ventilandam proponit*

BERNHARDUS LINDEMAN

Rostochiensis.

*In Auditorio Collegii Veteris*

*Ad diem 20. Januar. horis matutinis.*



WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ Hæredum JOHANNIS GORMANNI,

ANNO clō Is c XXXI.

4











# CUM BONO DEO

## PROOEMIUM.

**Q**ui ingenium hominis ferro, agro,  
item aquæ comparant, sapientiorum iudicio  
& rectè & commode facere videntur. Fer-  
rum nisi perpetuo tritu splendescat, corrup-  
pitur rubiginemq; ducit; Ager nisi diligenti culturâ  
subigatur, pro frugibus infelix lolium, tribulos ac ste-  
riles avenas profert; Aqua postremum si immota a-  
liquamdiu maneat, fœtida prorsus redditur: Ad eun-  
dem quoq; modum divina illa particula auræ nisi cre-  
brâ exercitatione quasi atteratur pigritiæ situ exedi-  
tur, nisi laboris vomerem subinde sentiat sylvescit,  
virtutisq; fructus tantum abest ut ad maturitatem  
quandam perveniant, ut & in primâ herbâ suffocen-  
tur, nisi deniq; jugi actu vegetetur, torpore ac desi-  
diâ penitus computrescit, secundum Poëtæ illud  
paulum mutatis verbis

*Cernis ut ignavam corrumpant otia mentem,*

*Ut capiant vitium ni moveantur aquæ.*

Non committendum itaq; ut nobilior illa nostri pars,  
per quam verè vivimus, & sine quâ vita hæc Mors est,  
& vivi hominis sepultura gravi negligentia veterno



torpeat. Quin potius remi movendi in studiorum  
cymbâ DEO ad clavum sedente, ignavos ille spernit,  
sedulos juvat. Cujus memor quaestionum quarun-  
dam Politicarum à præsentis rerum statu non abhor-  
rentium *συναγαφίαν* exhibere, eandemq; Disputatio-  
nis incudi subicere constitui. Quod dum aggredior  
æternum numen invoco ut fragilem ingenii mei ra-  
tem divinæ suæ gratiæ favonio secundet. Esto i-  
gitur

## QUÆSTIO I.

*Imperii Romani translatio à Grecis ad  
Germanos utrum Papæ sit adscri-  
benda?*

### THESIS I.

**V**etus est dictum: *Cui plus licet quàm par est plus  
vult quàm licet.* Id quam verum sit si inquam alibi,  
certè in Romano Pontifice apparet; qui initio pauper  
Episcopus & simplex Pastor fuit usq; ad tempora Pho-  
cæ Imperatoris, à quo Bonifacius 3. superbum Universalis E-  
piscopi sive Pontificis titulum emendicavit. Hac occasio-  
ne Papæ unà fenestram ad Jurisdictionem secularem aliqua-  
tenus sibi apertam esse rati paulatim conniventia Cæsarum eò  
impudentiæ & arrogantia processerunt, ut in Politicum  
quoq; regimen invasionem facere non erubuerint. Hinc lie-  
ne illo Ecclesiastico admodum accrescente, totum Imperii Ro-  
mani corpus mirificè contabuit. Inter alia vero astructæ  
Pontificæ potestatis media, non postremum sed palmarium  
numeratur Translatio imperii ad Germanos. Hanc igitur  
breviter excutere & argumentorum copiis utrinq; eductis  
disceptare animus est. Negamus autem translationem hanc  
Ponti-



Pontifici acceptam ferendam, rationibus ex ipsis rerum visceribus desumptis.

2.

I. A Constitutore & mutatore imperiorum DEO T. O. M.  
Huic soli tam pagina sacra quam humanae leges id ipsum tribuunt: Deus enim transfert regna à gente in gentem *Daniel.* 2. v. 21. Hujus gratiâ reges regnant. *Proverb.* 8. v. 15. *Sap.* 6. v. 5. *Esaie.* c. 45. *Deuteronom.* II. v. 9. *Sirac.* c. I. & 17. *Rom.* c. 13. &c. Ipse *Justinianus Imper.* in pr. C. de veter. jur. enucl. *Imperium à cœlesti majestate sibi traditum* fatetur & *Novell.* 28. c. 4. Hanc nos gratiam DEO referendam putamus, inquit, qui imperii nobis coronam imposuit. Sic *Fridericus I.* legato Pontificio respondit: *Se imperium nemini acceptum ferre quam DEO & Principibus Germanie.* *Radevic.* de reb. gest. *Frid. I.* c. 10. Haud absimiliter *Henricus Auceps* ad filium *Ottonem* scribit: *En tibi imperium non à majoribus mihi relictum, sed à solo Deo concessum.* *Reink.* de reg. secul. class. 2. c. 4. *Liebenthal.* Exercit. *Pol.* 7. quæst. 4.

3.

Idem posteriores Imperatores in *R. N.* passim testantur. *Carolus V.* de Anno 1548. à Deo non à Pontifice sibi datum gloriatur imperium; Quod totidem fere verbis repetit *Ferdinandus I.* de Anno 1559, & alii Imperatores quamplurimi. Huc accedit quod communi Electorum decreto Anno Christi 1338 tempore Pontificis *Benedicti XII.* promulgato cautum sit Imperatorem nullum superiorem recognoscere, sed imperium à Deo tenere, nulliusq; hominis vasallum esse. *Avent.* l. 8. *Annal.* *Otto* de jur. publ. c. 5. *Dresserus* in confut. *Bellarmin.* de transl. imp. *Cluten.* in sylloge rerum quotidianarum th. 4. lit. E.

4.

Omniùm verò maximè notanda est *Ludovici Bavari* Coloniae publicata constitutio; quæ imperii translationem soli DEO affcribit, & læsæ majestatis reos facit, nec non omnibus feudis. (quæ ab imperio possident) jurisdictionibus, privile-

A 3



giis ac immunitatibus privat, qui imperium à Papæ vel ei sup-  
positum arbitretur. *Reink. de reg. sec. class. 2 c. 4 n. 3. Ar-*  
*nif. de transl. imp. n. 11. Otto de Jur. publ. c. 5 Liebenthal.*  
*Exercit. 7. quæst. 4 Flac. Illyr. de transl. imp.* Quin etiam  
vulgata inscriptio diplomatum imperialium lippis ac tonso-  
ribus nota mendacii Pontificios arguit; dum semper præmitti  
solet, **Von Gottes gnaden/non von des allerheiligsten Va-**  
**ters des Pabsts gnaden.** *Otto de Jur. publ. c. 5. Clut. in Syll.*  
*th. 4. lit. E.*

5.

Justo sane DEI judicio & fatali quadam fortunâ im-  
peria mutantur & ab aliis ad alios transferuntur propter im-  
pietatem injustitiam ac avaritiam, teste *Syracid. c. 10. v. 8.*  
*Clut. in Syll. th. 4. litt. g. Reusner. in Eucleatione 7. quæstio-*  
*num Historiarum quæst. 6.* Utitur tamen DEVS certis me-  
diis, armis videlicet. Sic Nimrodus constituit Monarchiam  
Assyriacam; Cyrus Persicam, Alexander M. Græcam, Jul.  
Cæsar. Romanam, nec aliter Carolus M. Germanicum impe-  
rium auspiciatus est. Licet autem istæ regnorum translatio-  
nes non nihil violentiæ in se habere nobis videantur, DEO ta-  
men qui peccata punit fontium & virtuti ponit præmia,  
semper sunt legitimæ. *VVaremund. ab Ehrenberg. lib. 1.*  
*de fœd. c. 7. n. 35. Limneus de Jur. publ. lib. 1. c. 5. n. 15.*

6.

Statuimus itaq; divinam providentiam Carolum  
M. animasse ut ejus operâ Saxones, aliæq; gentes Septen-  
trionales quæ tum temporis in spissis Ethnicismi tenebris ce-  
spitabant, ad fidem Christianam converterentur. *Dresserus*  
*in confut. Bellarm. de transl. imper.* Hinc non tam sibi  
quàm Christo has gentes subegisse dicitur. *Mell. hist. Pezel:*  
*part. 3. in vit. Carol. M.* Historici qui res gestas ejusdem  
memoriæ prodiderunt, asserunt Imperii solium à nemine  
tunc



hinc occupatum quàm muliere Irene, & ita offerente numi-  
ne Carolo pro summis in religionem meritis quasi debitum  
datum. vid. Otto c. 5. Reinhard. König part. 1. theatri polit.  
c. 17. n. 5. Ipsa deniq; acclamatio populi Deum authorem  
translationis imperii facit, quæ talis fuit. *Carolo Augusto à  
Deo coronato, magno & pacifico Imperatori Romano vita & vi-  
ctoria.*

7.

II. *Ab officio Pontificis:* cui tanquam personæ Ecclesia-  
sticæ nullibi in sacris litteris potestas regna donandi, adimen-  
di vel transferendi conceditur, quin potius id ipsum severissi-  
mè interdicitur: Christus enim Apostolis prohibuit domi-  
nium & seculare imperium dixitq;: *Reges gentium dominantur  
vos autem non sic. Matth. 20. v. 25. Luc. 22. v. 25.* Tum quoq;  
filius Dei negat regnum suum esse de hoc Mndo *Ioh. 18. v. 36.*  
negat se constitutum iudicem rerum ac litium terrestrium,  
solicitatus enim ut hæreditatem inter duos divideret, *quis in-  
quit me constituit super vos iudicem? Matth. 22. v. 12.* ubi Ambro-  
sius commentatur: *Bene declinabat terrestria, qui propter divi-  
na descenderat.*

8.

At Pontifex Romanus qui se Christi vicarium jacti-  
tat, luxuriantem & superbiæ pennis altius evolantem spiritum  
tantum abest, ut intra officii carceres contineat, ut etiam plus  
quam Phaethontæâ audacia summum impetii apicem con-  
scendere, imò sceptrâ Orbis Monarchis extorquere allabo-  
ret. Hinc in c. *Unam sanctam* extra: de majorit. & obed.  
*de necessitate salutis esse dicit, ut omnis anima sit subjecta Pontifici.*  
Cum verò nullum mandatum Christi de transferendis regnis  
habeant Papæ, & *omnis vicarius ineptus sit absq; mandato per l. 1.  
C. de mand. princip.* quis nisi talpâ cœcior non videt, quàm  
iniquè sibi translationē imperii vendicent; quàmq; impuden-  
ter Cæsares mancipia sua faciant contra doctrinam Christi &  
omnium Apostolorum.

Petrus



Petrus ipse quo se fundatore jactant, contrarium asserens Presbyteros politicis gubernatoribus obtemperare jubet *1. Pet. 2.* Idem facit Paulus Apostolus *Roman. c. 13 v. 1.* Ut rectè *Fridericus 1.* flos ille heroum Adriano 4to Pontifici scribenti: Scire se debere, ut quo jure Papa imperium à Græcis ad Germanos transtulerit, eodem quoq; jure se idem rursus Germanis ereptum Græcis restituere posse, magnanimiter responderit. *Eum potius sollicitum esse debere de sectandis vestigiis Petri, de portandâ cruce Domini, quam de regnis tradendis, transferendis vel adimendis.* *Reink. de Reg. secul. clas. 2. c. 4. n. 37.* **Liebenthal/ Exerc. 7. quæst. 4.**

Sancti quoq; Patres in primitivâ Ecclesiâ secularem Papæ potestatem vehementissimè impugnarunt. Sic *D. Bernardus l. 2. confid, ad Eugenium Pontificem.* *Memineris, scribit, tibi ministerium impositum, non dominium datum, disce tibi sarculo opus esse non sceptro: & paulò post: I tu & tibi usurpa aut dominans apostolatum aut apostolicus dominatum, si utrumq; similiter habere voles, perdes utrumq;.* Idem alibi de fastu Papæ loquens, eum non Petro sed Constantino successisse ait. *Augustinus quoq; jure Imperatorum non Episcoporum bona possideri statuit.* Sic *Theophylactus ad c. 21. Johan.* notat *Christum Petrum non regem aut Principem, sed fidum pastorem agere jussisse.* At Romana illa bellua haud absimilis est illi qui in Evangelio falsò gloriatur: *Omnia regna mundi, mea sunt quibus volo ea tribuo.* *Matth. & Luc. 4.*

Memorable est *Bonifacii VIII.* Pontificis exemplum qui Alberto I. coronam imperialem ab eo petente gladio accinctus coronaq; imperatoriâ ornatus in publicum prodiens plus quam Tyrannicâ voce exclamavit: *Ego sum Cæsar & Pontifex nec absq; meâ auctoritate electio imperatoris rata est.* *Otto de jur. publ. c. 5. Arum. disc. Acad. 3. Clut. in syllog th. 5. l. g.* **Quid**



Quid verò hoc factò impudentius aut arrogantius excogitari potest?

12.

Sed Pontificiorum ratiunculas quibus Idolo suo dominium seculare tribuunt ad Lydium veritatis lapidem revocemus. Canonistæ eidem directam sive absolutam, Bellarminus verò cum aliis emunctioris nasi Jesuitis indirectam seu subordinatam potestatem politicam abstruunt. *Priorum argumenta magis κολάσει quam λύσει digna sunt. Potissimum deducitur à duobus gladiis Petri Luc. 22. v. 38. quibus utramq; jurisdictionem Ecclesiasticam & Politicam denotari autumant. Verùm illo loco nihil omnino agitur de gladio spiritali, vel seculari, quin potius Christus Petrum gravissimè reprehendit & gladium in vaginam recondere jussit. Unde D. Bernhardus in Considerat. ad Eugenium? Verbo, inquit, non ferro age, quid tu denuo gladium prohibitum usurpare tentas?*

13.

2. argumentum Canonistarum desumitur ex c. Solite X de majorit. & obed. ubi dicitur: *Quantum sol lune plumbo, anima corpori prestat, tantum Papa Imperatori: Madida ista sunt, ut Lipsii verbis utar & natantia verba quibus nihil expresseris nisi stolidum vanitatis & superbiæ succum. Respondet ineptæ huic comparationi B. Isidorus & jaectum telum in Pontificios retorquet: dum per Solem potius regnum, per Lunam verò sacerdotium intelligi ait, vid. Mellif. hist. Pezel: part. 3. in vit. Carol. M. Quemadmodum enim Luna indiget radiis solaribus, ita Ecclesia regum & principum beneficentia ac protectione. Hi nutricii & patroni ejusdem sunt Esai. 49. v. 23. & hic honor illis summo jure debetur jussu DEI. 1. Timoth. 2. v. 2. Psal. 2. v. 10. Psal. 82. v. 6.*

14.

3. argum. exstruunt ex dicto Christi ad Petrum: *Dabo tibi claves regni celorum: Quodcumq; ligaveris in terra ligatum erit in celo &c. Matth. 16. v. 19. c. ad Apostolica, de sent. & re jud. Sed facile hic aries quoq; retunditur; Novimus enim Chri-*

B

stum



sum discipulis suis tradidisse claves cœli non autem terræ, ad dimittenda peccata vel retinenda, non autem ad regna tradenda vel adimenda. Deinde non Petro solum datae sunt claves cœlorum, verum etiam reliquis discipulis, explicante *Theophylacto*; Quamvis itaq; Petro dictum sit; *Dabo tibi*, tamen omnibus concessæ sunt, cum Christus quoq; *Ioh. 20. v. 25.* locutus sit pluraliter *Quorumcumq; peccata remiseritis &c.* non tantum singulariter. Quod si claves cœli habent potestatem transferendi imperia, quid causæ est quo minus eadem concedatur omnibus Ecclesiæ ministris, quibus competit facultas ligandi & solvendi peccata? Quod tamen paradoxon quam maximè, vel puero apparet.

15.

Quid multa? Canonistæ proprium ipsorum mucronem incurrant oportet, cum *Jus Canonicum* seculare dominiū derogat Pontifici. *caus. reprehensib. 23. quest. 8. cap. 19.* dicitur: Quod nemo militans DEO se implicare debeat negotiis secularibus. Sic *caus. duo sunt. 12 quest. 1. cap. 7.* spirituale Christi regnum in elementis hujus mundi quærendum negat. Et *e. causam 7. X. qui filii sint legitimi.* Ad regem, inquit, non ad Ecclesiam pertinet de possessionibus indicare. Tum quoq; quidam Pontifices testes certè apud adversarios omni exceptione majores politicum regimen sibi non deberi falsi sunt. *Alexander 3.* Fridericum I. hostem expertus imperium in *Emanuel Comnenum* id affectantem transferre noluit, dicens: *se nolle in unum confundere, quod olim majores sui de industria disjuxissent.* *Platina* in vit. *Alexand. 3.* *Arnif. de transl. imp. n. 20.* *Aneas* quoq; *Sylvius* Papa, post *Pius II.* dictus negat ullo divino jure Papam & Ecclesiasticos ab imperatoris potestate esse exemptos & errare omnes qui se ab imperii jurisdictione subducant; Neminem in rebus temporalibus imperatore superiore esse post Deum. vid. *ipsum in abbrev. Blondi & Mellif. hist. Pezelii.* part. 3. in vit. *Carol. M. Imper.*

16.

Deniq; *Jcti Pontificii* jurisdictionem politicam Papæ damnant.



damnant. *Ferrariensis* in format. libell. act. confess. gloss. 7.  
ad verba plenam & omnimodam hoc consilium subministrat:  
*Bene & sancte facturum Pontificem, si totam temporalem jurisdictionem in manus imperatoris remitteret, hoc ipso statum universum Clericorum magis redditum iri Deo ac populo devotum ipsumq; Papam cum Cardinalibus quietius victurum.* Reink. de reg. secul. l. i. class. 2. c. 5. Henon. disp. 3. Polit. th. 8. Rev. Dn. Röberus in Labyrintho opin. de Potest. Pontif. th. 13. *Barclaus* ipse Pontificiæ religioni addictissimus sententiam Bellarmini publico scripto refutavit.

17.

Nunc Lojolitarum argumenta trutinemus non minus infirmo talo subnixa. *Initio* imperitè admodum blaterant: *Communem esse opinionem de potestate Papæ indirectâ in res seculares. E oppositam falsam & hæreticam.* Cui objectioni  $\omega\omicron\lambda\upsilon\theta\epsilon\upsilon\lambda\lambda\eta\eta\omicron\nu$  illud reponimus. *Communem errorem jus non parere.* *Arnis.* de transl. imperii.

18.

2. Falsa hypothesis præsupponitur, dum Bellarminus & alii ejus sequaces ecclesiasticam potestatem definiunt quod non solum sit in privatos, verum etiam in reges & imperatores, ita ut exigente salute Ecclesiæ possit eosdem Papa regnis spoliare, & alios substituere. Resp. Quando unquam vel Christus, vel Apostoli talem potestatem jactitarunt aut usurparunt? quasi verò apud omnes Dea Fatua regnaret, ut huic definitioni fidem adhibeant. Eadem certe operâ inferioribus etiam ministris ecclesiæ hanc potestatem tribuunt Pontificii, ut liceat illis magistratum abrogare, & bona ab hoc in alium transferre. Quod enim in capite valet adversus capita, idem in membris valebit adversus membra. *Dresser.* in confut. Bell. de transf. imp. Unde  $\acute{\alpha}\sigma\upsilon\lambda\lambda\omicron\gamma\iota\sigma\iota\alpha$  satis superq; apparet. Quæ namq;  $\acute{\alpha}\tau\alpha\zeta\iota\alpha$  omniumq; rerum confusio hinc emergeret?

19.

3. Ballistam se intorquere putant ex illo Joh. 21. v. 16. &

B 2

17. sed



17. Sed falluntur, plura est: Dum enim Christus dicto loco Petrum jubet pascere oves suas, non tribuit secularem potestatem, ut inepte somniant Pontificii, quod boni pastoris sit non solum pascere oves, sed & regere. Imo Baronius ita frontem perfricuit, ut ad rem publ. Venetam scripserit, dictum esse Petro non tantum Pasce sed & occide vel macta. ex *Act. Apost. c. 10. v. 13.* Rev. Dn9. D. Röber. in disp. de mult. abs. Pontif. th. 30. Quanto satius esset Jesuitarum cohortem *B. Bernardi* explicationem sequi, qui lib. 2. Confid. ad Eugenium. *Evangelizare*, scribit, *pascere est, fac opus Evangelistæ & pastoris opus impleri.* Adhæc *Marsilio Patavino* teste in tract. de transl. imper. ex sacris literis probari non potest, Petrum Romæ fuisse, multo minus 25. annos ibi mansisse & episcopatum exercuisse, tantum abest, ut Papæ jus imperii transferendi, quod ipse non habuit, tribuerit.

20.

4. Opponunt exemplum *D. Ambrosii Theodosium* Imperatorem à limine ecclesiæ sequestrantis. Verum id ipsum proprium eorum jugulum petit; non enim probat ullam secularem potestatem, quin potius imperatores peccantes pœnâ spirituali coercendos docet. At meretrix illa Babylonica sub excommunicationis prætextu laudatissimos quosq; Imperatores ac Reges folio & ditionibus exuit, quorum catalogum vid: apud *Arnif:* de transl. imp. c. 9.

21.

5. Antiquam consuetudinem quarundam gentium, ut & ipsorum Judæorum adducunt, quâ sacerdotium conjunctum fuerit cum regno. Apud Ægyptios Philosophi & sacerdotes reges quoq; constituebantur, uti ex Platone notat *Marsilius* in præfat. lib. Trismeg. *Justin.* lib. 36. Apud Romanos *Numa Pompilius* utramq; personam sustinuit. *Aurel. Vict.* de Vir illustr. c. 3. Sic & *Melchisedech* aliq; . *Justin.* l. 36. c. 2. f. Verum huic objectioni primò respondemus, Ethnicorum ac Judæorum consuetudines nobis non præjudicare: Non enim exemplis sed legibus est judicandum, Non jam  
quæri-



quæritur, quid olim ab uno vel altero factum sit, sed quid etiamnum fieri debeat. Deinde dissimilis subest ratio: Nam reges isti non nisi paucis certisq; quibusdam sacris assistebant, ideoq; à curâ, quam reipubl. debebant, non abstrahebantur. Quoad exemplum Melchisedeci, est illud planè singulare & extraordinarium, ex quo universalis regula extrui nequit. Si quidem peculiariter gessit typum Christi, qui rex & sacerdos simul futurus erat. Regnum quoq; illius non fuit amplum, sed ad unicam urbem restrictum. Præterea Ecclesiastici ministerii in No To ratio non aliunde æstimari debet, nisi ex dispositione Christi, qui cum potestatem temporalem sive dominatum politicum Apostolis eorumq; successoribus Matth. 20. v. 25. 26. 27. Marc. 10. v. 42. 43. 44. Luc. 22. v. 25. 26. prohibuerit; utiq; nulli concedi potest aut debet. Huc facit iudicium Nicolai Papæ in Epistolâ ad Michaëlem Imperat: uti allegatur in Jure Canon: Dist. 96. c. 6. & in ejus Glossâ seu Notis: Fuerunt hæc ante adventum Christi, ut quidam typicè reges simul & sacerdotes existerent. Quod sanctum Melchisedech fuisse sancta prodit historia, quodq; in membris suis diabolus imitatus: (utpote qui semper quæ divino cultui conveniunt, sibimet tyrannico spiritu vindicare contendit) ut pagani Imperatores iidem & maximi Pontifices dicerentur. Sed cum ad verum ventum est eundem Regem atq; Pontificem, ultra sibi nec Imperator jura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium usurpavit: quoniam idem mediator Dei, & hominum homo Christus Jèsus sic actibus propriis & dignitatibus distinctis, officia potestatis utriusq; discrevit, propria volens medicinali humilitate sursum offerri, non humana superbia rursus in infernum demergi, ut & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentur, quatenus spiritalis actio carnalibus distaret incurisibus, & ideo militans DEO minimè se negotiis secularibus implicaret, ac vicissim non ille rebus divinis præsidere videretur, qui esset negotiis secularibus implicatus.

22.

III. A justiore possessionis titulo Carolo M. 20. annis

B 2

ante



*ante Leoninam coronationem competente.* Capto enim ad implorationem Adriani 4ti Pontificis Desiderio Longobardorum rege universam Italiam violenter ab eo occupatam, jure belli suam fecit. Deinde à populo Romano, quod defensor urbis & religionis exstiterat Patritius creatus est, quæ dignitas eo tempore imperatoriæ proxima erat. *Reusn. quæst. illust. 6. Lim. de Jur. Publ. l. i. c. 5. Arnif. de transl. imp. n. 13. Arum. disc. Acad. 3. Reinhard. König theatr. polit. part. i. c. 17.*

23.

Documentum hujus rei evidens exstat in *c. Adrianus dist. 63.* ubi ipse Papa cum universo populo se subjicit potestati Caroli M. Idem magnam partem Alemanniæ, ut & Galliam à patre Pipino ad se transmissam tenebat: Saxones quoq; diuturno bello subegerat, ut nihil defuerit ad majestatem Occidentalis imperii præter nudum nomen Augusti sive Cæsaris, re ipsa autem verus Dominus ac possessor hujus Monarchiæ exstitit. Cur igitur ab alio peteret Carolus quod jam antea meliori jure possidebat? Nec enim quisquam dubitavit quin capta justo bello efficerentur capientis § 17. I. de Rer. Divis. & quod proprium alicujus est amplius ejus reddi non potest. § 10. I. de Legat. Cum itaq; plurimis annis ante Leonis Pontificatum Carolus imperium tenuerit, quomodo Leo id ipsum transferre potuit? Quod si demum post inaugurationem verus possessor factus sit: sequitur eum intermedio tempore injustum harum provinciarum usurpatorem exstitisse: quod absq; insigni impudentia & manifesto falsi crimine asseri nõ potest.

24.

Sed & hic evidentissimæ veritati glaucoma objicere tentat Bellarminus, dum in tract. suo de transl. imper. negat Occidentalem Monarchiam jure belli à Carolo M. quæsitam, quia Roma non sit quæ sita, utpote quæ illo semper amico, nunquam verò hoste sit usa. *Sed Resp.* Quod Romanorum Dominus factus sit jure spontaneæ subjectionis, quem admodum ex supra citato *c. Adrianus dist. 63.* liquido constat. Idq; metu majoris mali, direptionis sc. & captivitatis; Æque autem jure belli



belli acquiritur, quod formidine armorum voluntariâ deditione capitur, quàm quod violenta manu expugnatur.

25.

Ast pergit tenebras nobis offundere Bellarminus dum objicit. *Si jure belli imperium obtinuit Carolus, quare abstinent nomine imperatoris, & post coronationem demum usurpavit?* *Resp.* Ex nomine infirmam admodum deduci consequentiam ad rem ipsam. E: G. Hic non est renunciatus doctor. E. non est doctus. Quis tam infelicis cerebri qui absurditatem hujus collectionis non perspiciat? Vid. *Arnis.* de Transl. Imp. n. 18. Causam tamen hujus rei reddit *Doming Clut.* in Syll. th. 4. l. 1. & ascribit id ipsum providentiæ Caroli, quâ prius titulum Imperatoris usurpare noluit, quàm legitima & justa ἐπιτέλεια quæ erat imperatorum Constantinopolitanorum assensio eum roborasset. Manet itaq; quod suæ virtuti acceptum tulerit imperium & Papa nihil omnino ei addiderit. Hinc etiam *Alciatus* dicit, quod Carolus sua autoritate sibi pompam inaugurationis procuravit, vid. *Flac. Illyr.* de Transl. imper.

26.

IV. *A legitimâ S. P. Q. R. electione, quæ concurrat in translationis imperii negotio, & Monarchiam jure belli præoccupatam ex post facto confirmavit.* *Aeneas Sylvius Papa,* cui PII 2. nomen inditum, testis certè vel unus sufficientissimus Scutum & decretum populi Romani Leonis 3. declarationem antecessisse memorat. Vid. *Rönig,* theat. polit. part. 1. c. 13. *Sigebertus* in Chronic. suo Populum Romanum Carol. M. per manum Pontificis coronasse scribit. Quod itaq; quis per alium fecit per seipsum fecisse putandus est; *argumento l. 72. de R. I.* in 6to. *Onuphrius* homo Italus Imperatorem appellatum à S. P. Q. R., coronatum à Pontifice testatur. Insuper quotquot ferme translationem imperii descripserunt, acclamationem seu laudationem, in quâ olim popularis consistebat electio, *Paulus Diaconus* passim. *Reinh. Rönig* theat. Polit. part. 1. c. 17. coronatione Pontificia priorem fuisse asserunt.



runt. *Dresser. in confut. Bellarm. de transl. imper.* Habuit autem tunc S. P. Q. R. adhuc aliquid juris ac libertatis nec mancipia Papæ erant, ut factum aliquot seculis postea. *Flac. Illyr. de transl. imp.*

27.

Deserti itaq; à Græcis Imperatoribus, qui domi vix hostibus suis pares erant & Occidentale imperium quasi pro derelicto habebant, *Reusn. quæst. illustr. 6.* summum quoddam caput sibi constituerunt, quo contra Longobardorum & aliorum direptiones defenderentur. Nec quidem injuriâ; quæ enim olim potuit populus ante legem Regiam, qua omnem potestatem transtulit in Cæsarem, eadem potuit vacante vel deserto imperio. *Arnif. de transl. imper.* Hinc *Aventinus in Annal. referente Arum. tom. 1. disc. acad. 3. fol. 29. & 30.* scribit: *Cum mulier Irene Constantinopoli imperaret quod inauditum esse videbatur, putabant Romani se potestatem & jus habere eligendi imperatorem: quod imperium ex iis esset & nominaretur. Et sane ex consensu multitudinis pendet constituere super se regem, attestante vel ipso Bellarmino l. 3. de Laicis. c. 6. §. 4. & 5.* Dum verò historici referunt, quod unanimi voluntate totius Cleri & populi imperium sit translatum, negari quidem nequit sub Clero etiam Pontificem contineri, non tamen solius Pontificis consensus fecit imperatorem, sed totius populi. *Lim. de Jure publ. l. 1. c. 5. f. Dress. in confut. Bell. de transl. imperii.*

28.

At prodit vicissim in aciem *Bellarminus* & negat S. P. Q. R. tempore translationis imperii competiisse jus eligendi Cæsarem, cum sede regiâ Constantinopoli translata id ipsum amiserint, deinde quoq; Imperatores ut plurimum nominati sint ab antecessoribus vel militibus. *Resp. 1.* Quod sede imperii Constantinopoli transportatâ, tum quoq; electio facta sit à parte populi Romani, quæ Constantinopoli habitabat, electus autem Imperator à toto populo confirmabatur: Ut ita hæ duæ Urbes in unum quasi transfusæ viderentur. Hinc *Claudianus Bizantinos Quirites & Justinianus imperator*  
Con-



Constantinopolin novam Romam subindè vocitant. *Lim. de Jur. publ. l. 1. c. 5.* 2. Lege quidem regiâ omni potestate in imperatorem collatâ eidem licebat imperium transmittere in posteros, sed vacante imperio & successore legitimo non existente, electio recidebat ad populum. *Arnif. de transl. imp. n. 16.* 3. Electio exercitus non erat rata sine populi approbatione, & licet contrarium quandoq; de facto contigerit: Tamen non magis milites vi & injustis armis sibi acquisiverunt jus quoddam, quàm non amisit populus per suppressum electionis exercitium. *Lim. de Jur. publ. l. 1. c. 5.*

29.

Deinde *Adrianus VI.* Papa & eum secuti Pontificii male inferunt à coronatione ad communicationem potestatis: Ita enim stabulum illud impudentiæ epistolâ ad Fridericum I. Cæsarem datâ argumentatur: *Unde habet imperium nisi à nobis, ex electione principum suorum habet nomen regis, ex consecratione nostrâ habet nomen Imperatoris & Augusti. E. per nos imperat.* Bellam verò collectionem, ad quam nisi quis profus sinapi vitet, risum continere nequeat. Turpissimè autem committitur Fallacia non causæ ut causæ; Electio legitima est causa imperii, nec quisquam coronari potest nisi prius sit designatus: Coronatio non facit imperatorem, sed electum declarat. *Flac. Illyr. de transl. imper. c. ult. VVaremundus ab Ehrenberg. de regn. subsid. c. 1. n. 1. Paurmeist. de jurisd. l. 2. c. 4. n. 4. VVesemb. ad proœmium institut. Sneidvvin. ibid. ad rubr. n. 6.* ubi testatur electum imperatorem etiam ante coronationem præsertim Pontificiam vocari invictissimum & augustissimū. *Matth. Steph. l. 2. de Jurisd. c. 1. n. 122. & seq. Item d. l. n. 142.* refert, Electionem esse de substantia imperiali, alia verò de solemnitate, adeoq; imperatorem solâ electione omnia jura consequi. Eandem sententiam tenent *Arnif. de transl. imper. n. 22. & 24. Dress. in confut. Bellarm. Arum. tom. 1. disc. acad. 3. Clut. in Sylloge. th. 4. l. k. Ant. Coler. de Jure imper. Germ. th. 6. Liebenhal. Exercit. Polit. 7. quæst. 4. Schönborn. l. 5. Politic. c. 8. in fin. Reinhard. König, Theatr. Polit. part. 1.*

c. 17.

Q



Quod si, quicumq; coronam imponit, imperium dat, colligitur hinc Papam ipsum Cardinali Hostiensi, à quo coronatur, acceptam ferre potestatem suam & eo minorem esse; hoc tamen nec Papa nec ullus Pontificiorum credo concesserit. Sic Reges in V. T. per Prophetas uncti sunt, non tamen hi regnum tribuerunt. Saul unctus à Samuele *1. Samuel. c. 10.* tantum vero abest, ut hic regiam potestatem eidem largitus sit, ut & expressè sacer Codex dicat: *Quod elegerit eum Dominus & unxerit in regem principemq; populi sui.* Pari ratione *1. Regum 1. v. 30.* Salomonem inungit sacerdos Sadoc nec tamen quisquam audebit dicere, imperii majestatem à consecratione istâ dependere. Sequeretur etiam ex infulsissimo hoc errore Pontificiorum, Archiepiscopum Coloniensem in regem Romanorum, Cantuariensem in regem Angliæ, Pragensem in regem Bohemiæ, Gnesnensem in regem Poloniæ potestatem quandam habere, quod hi ab illis coronentur. At quæ unus tam excors inveniri queat, ut id ipsum existimet? vid. *Schönb. l. 5. Polit. c. 9. Arnif. de transl. imper. n. 22. Dresserus in confut. Bellarm. de transl. imp. Arum. tom. 1. disc. acad. 3. fol. 27. Reinhard. König. Theatr. Polit. part. 1. c. 17. n. 18.*

Restiterunt Paparum arrogantia laudatissimi quiq; imperatores una cum Electoribus variis decretis. Ita *Fridericus I. Barbarossa* dictus insolentissimæ *Adriani VI.* epistolæ quâ dignitatis & honoris plenitudinem sibi à Pontifice collatam, & insigne imperialis coronæ de manu ejus suscepisse, ut beneficium gloriatur tale edictum opposuit: *Cum per electionem Principum à solo DEO sit imperium nostrum, cumq; Petrus apostolus hæc doctrinâ mundum informaverit. Deum timete, regem honorificate: quicumq; nos imperialem coronam pro beneficio à Domino Papâ accepisse dixerit, divina institutioni & doctrinæ Petri contrarius, mendacii reus erit.* *Radevvicus de reb. gest. Frid. l. c. 22.* Principes



pes quoq; imperii ægerrimè Pontificis impudentiam tulerunt, Arnif. de transl. imperii, n. 18. Hinc Adrianus ut exulceratas Cæsaris & Statuum mentes componeret, non obscurâ Palinodia per beneficium non Feudum sed bonum factum, per collationem imperialis coronæ impositionem in caput se intelligere rescripsit. Radevic. d. l. Avent. l. 6. Annal. Cujac. l. 1. de Feud. Reinking. de Reg. secul. l. 1. class. 2. c. 5. n. 21 Arnif. de Transl. imper. n. 18. & 35. Ludovicus quoq; Bavarus Imperat. constitutione suâ suprâ allegatâ gravissimè decernit; Cæsarem solâ electione plenariam potestatem consequi, nec Papæ confirmatione vel consensu indigere. Reinking. de Reg. secul. l. 1. class. 2. c. 4. n. 3. Arnif. tract. de transl. imp. n. 24. A. B. tit. 2. § ult. Flac. Illyr. de transl. imper. c. ultim.

32.

Præterea unanimi Electorum decreto Francofurti Anno 1338. publicato cautum est, Papæ nullas partes esse in electione Cæsaris, coronationem illius saltem decus esse & deservire in eâ tanquam minister & subditus suo Domino. Dresser. in confut. Bellarm. de transl. imper. Unde Maximilianus I. Imperator nunquam satis laudatus coram Statibus imperii publicè professus est coronam imperialem à Pontifice accipere, minimè sibi necessarium videri, cum imperii majestatem ab ordinibus acceperit. Bodin. lib. 2. de Rep. c. 6. n. 225. Clut. in Syll. th. 4. l. k. f. Arum. tom. 1. disc. acad. 3. Hænon. disp. 3. Polit. th. 36. Rudolphus insuper Habsburgensis nunquam Italiam vidit, causamq; cur ad Pontificis Nicolai instantiam, Romam ingredi nollet, his versibus expressit

————— Quia me vestigia terrent

Omnia te adversum spectantia nulla retrorsum.

Clut. & Hænon. d. l. Dress. in confut. Bellarm. de transl. imperii. Hunc imitati Conradus 1. & 2d9. Henricus Auceps, Albertus 1. & 2. Ferdinandus, Maximilianus 2. Rudolphus 2. & Matthias, qui omnes nunquam Romæ coronati sunt. Clut. in Syll. d. l. Anthon. Coler. de jure imper. Germ. th. 6. f. Schonb. l. 5. Polit. c. 8.

C 2

Habue-



Habuerunt aliquando hunc honorem Imperatores pietatis causâ Pontifici, ut coronam sibi ab eo imponi paterentur, sed tanquam à ministro Ecclesiæ, non Domino imperii. *Dresser. d. tract.* Nec verò corona illa est Pontificia, sed imperatoria, quam conferunt Status imperii. Hinc *Frisingenis, Sigebertus, Nauclerus, Onuphrius & alii*, dum translationis imperii historiam describunt coronationem Pontificis imperialem benedictionem appellant. Et certe finis præcipuus coronationis est, ut publicis precibus gratia S. S. futuro imperatori impetretur. *Arnis. de transl. imper. n. 30. Clut. in Syll. th. 4. l. d. Reinh. König Theatr. polit. part. 1. c. 17. n. 20.* Apparet itaq; imperatoriam majestatem absq; inauguratione perfectam esse, sicut verum & legitimum est conjugium, etiam si solemnia nuptiarum nondum accesserint. *Keckerm. in curs. Philosoph. postrem. disp. 29. problem. polit. 16. Dress. dict. tract.* Licet autem quidam imperatorum coronationem pontificiam petierint: reliquis tamen minimè præjudicant. Hinc *arg. c. 29. de R. I. in 6to. Quod omnes tangit ab omnibus debet comprobari.* Et secundum *JCtorum regulam. In actibus mere facultatis & voluntariis præscriptio non habet locum.* Jam verò ad solemnia non tenetur imperator & possunt hæc propter certas causas quandoq; omitti. Sic in coronationis ritu multa sunt mutata: Non enim hodie secundum institutum *Aur. Bullæ triplici coronâ insignitur Imperator, ferreâ vid: argenteâ & aureâ, sed unicâ eaq; aureâ Francofurti*, quod exempla posteriorum Cæsarum comprobant.

Nec desunt causæ quare neglecta sit coronatio Pontificia. I. enim, quæ Paparum est arrogantia, imperatoribus legitimè electis coronationem absq; justâ causâ sæpiuscule denegarunt, quod vel unico *Pauli 4. & Ferdinandi I.* exemplo satis liquet: de quo vid. *Thuan. l. 121. hist. & Arum. tom. 1. disc. acad 3.* Indignum autem maxime erat propter  
Ponti-



Pontificis insolentiam imperium carere suo capite. 2. Ple-  
num opus periculi Romam adire. Sic Arnolphus Impera-  
tor ibidem coronam petens veneno sublatus est. Et varie o-  
ptimis quibusq; Cæsaribus illudum. Cælestinus 3. Papa co-  
ronam imponens HENRICO VI. impositam statim pede ex-  
cussit, designans quod Pontifex habeat potestatem creandi  
imperatorem, si meruerit & potestatem dejiciendi, si deme-  
ruerit. *Arnif. tract. de transl. imper. n. 18.* Carolus IV. cum  
pedes Romam isset coronæ acceptandæ causâ quidam Sena-  
tor oratione ad populum habitâ false eum derisit dicens: Ec-  
ce Rex tuus tibi venit mansuetus. *Cluten in Syll. Dress. d. 1.*  
3. Pontificis benedictiones magno precio mercari oportebat.  
*Dresser. in confut. Bell. de transl. imp.* Nimis carum istud o-  
leum magno civitatum ac prædiorum imperialium munere  
imperatoribus constitit. *Clut. in Syll. th. 4. l. d.* & paulò post  
ô oleum, inquit, pessimè olens mephitin diceres. Porro Im-  
peratori Romam ad coronationem profecturo 20. peditum &  
4. equitum millia 8 mensium spacio imperium sustentare co-  
gebatur. *Arum tom. 1. disc. acad. 3.* Hi autem sumptus ma-  
gis necessariis rebus impendi potuerunt. Non tamen pro-  
pterea omnis in genere negligenda est coronatio, utpote quam  
præcipuum signum legitimi imperii Onuphrius appellat. Ra-  
tiones satis prægnantes, cur adhiberi debeat, affert *Clem. Timpl.*  
*l. 2. Polit. c. 3. quæst. 5.* & ex eo *Hænonius disp. 3. Polit. th. 35.*  
pag. 107.

35.

Bellarminus ut in disputando ceu anguilla elabatur, ita  
hic quoq; effugium quoddam reperit, dum confirmationem  
Pontificiam vel ideo quàm maximè necessariam esse autu-  
mat, ne contingat schismaticum vel hæreticum creari impera-  
torem. *Resp.* Legibus imperii jam ante cautum esse, ut ca-  
tholicus & pius Imperator eligatur, quo factò si coronatio-  
nem deneget Pontifex, sumi eadem à quovis episcopo catho-  
lico potest vi decreti elector: *Francof. habit. Anno 1338 Mar-  
silius Pat. in def. Pacis.*

G 3

Pergit



36.  
Pergit arietare sententiam nostrā Bellarm. & negat fuisse Imperatores, qui non sint coronati à Pontifice, nisi forsan quis designatos dixerit. Resp. Hoccine est quotidiana experientia obloqui, hoccine claudere oculos in meridie & negare solem lucere? Sequeretur certe ex hypothese Bellarmini tempore illorum imperatorum, qui pontificiam coronam non acceperunt, interruptam fuisse Romanam Monarchiam, imò prorsus exspirasse, quod disertè contrariatur vaticinio Daniel c. 7. ubi dicitur quod ultimum hoc regnum ad finem mundi sit perduraturum.

37.  
*V. A jurisdictione Caroli M. & sequentium Imperatorum in Pontifices Romanos.* Constat enim ex sæpius citato c. *Adrianus dist. 63. c. in Synodo dist. 63.* Papam cum toto Clero potestati Caroli M. se submitisse eiq; jus ordinandi sedem Apostolicam, item Archiepiscopos & Episcopos per omnes provincias instituendi dedisse: Idq; eo adhuc patritio Romano, nec dum imperatore. Hinc deinde investituram sacram dignitatum, quæ fiebat per scipionem sacrum, & annulū pastorem Cæsares inter jura regalia retulerunt. Quomodo igitur cum sub Adriano 4. 20. annis ante Leoninam istam, vulpinam penè dixerim, coronationem tam Papa quàm Clerici, jurati subditi Caroli M. fuerint, Leo 3. demum transferre potuit imperium? quin ipse initio Papatus sui confirmationē à Carolo petiit, missis clavibus D. Petri & vexillo urbis Romanæ rogavitq; ut aliquem ex optimatibus suis Romam mitteret, qui populum in fide & subjectione per sacramenta firmaret, referente *Ammon. l. 4. c. 89.* & plurimis aliis priscis historicis. vid. *Arnif. de transl. imp. n. 27. Dresser. in confut. Bellarm. de transl. imper. Coler. de Jur. imp. Germ. th. 5.* Hoc vero clarissimum potius subjectionis quàm translationis imperii signum est. Quod enim Leo 3. agnovit Carolum M. legitimum judicem in dissidio inter se & populum Romanum, orto, id ipsum manifestissimam subjectionem arguit. *Arnif. d. tract.*



tract. n. 21. *Dress. d. tract. Flac. Illyr. de Translat. imp. Reusn.*  
quæst. illust. 6. Quid autem stultius aut ineptius excogitari  
potest, quàm subditos Caroli audere ei donare Orbis Monar-  
chiam? superioris est conferre dignitatem & potentiam in  
inferiores, non e contra.

38.

Illud quoq; nequaquam prætereundum quod Leo 8.  
concessionem Adriani 4ti. Ottonis I. Imperat. renovavit, qui  
JOHANNES XII. Pontificatu deturbato, illum in locum  
hujus suffecit. Ottonis quoq; filius & nepos Papas dede-  
runt & in eosdem ut subditos animadverterunt. *Arnif. d. tract.*  
n. 27. Ita Henricus 4t9 deposuit Benedictum X. eiq; surroga-  
vit. Nicolaum 2. *Dresserus d. tractat. Schonb. l. 5. Polit. c. 10.*  
Fridericus 2. Pontificem creavit alium, quàm qui à Clero ele-  
ctus erat. Henricus 3. Gregorium 6tum Papali dignitate exuit  
eaq; Clementem 2. circumdedit, imo jure jurando Romanos  
iterum adigit, ne quem deinceps Pontificem absq; imperato-  
ris consensu eligerent. *Bodin. de Republ. c. 3. Arum. disc. acad.*  
31, *Joh. Baleus Lib. 5. de Actis Rom. Pontificum in Clemente*  
II. Tandem vero Cæsares metu tyrannidis papalis deterriti  
jus constituendi Pontifices Archiepiscopos & Episcopos, ne-  
gligere & pro derelicto habere coacti sunt, primusq; Henricus  
V. in Concilio Wormatiensi jure investituræ cessit. *Clut. in*  
*Syll. th 5. l. h. Chron. Carion. in vit. Henr. V.*

39.

Quamvis verò quidam Imperatorum sub excommuni-  
cationis velo à Papis solio sint dejecti, tamen hæc exempla  
non juris sunt sed facti. Tale est illud Henrici IV. citra omnem  
causam à Papâ Gregorio 7. exauthorati, qui Status imperii  
sacramenti religione solvit, missâ Rudolpho Suevo coronâ  
aureâ cum hâc inscriptione

*Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.*

*Arnif. d. tract. n. 6. Dress. d. tract. Reusn. quæst. illust. 6.* Frideri-  
cus quoq; I. imperator ab Alexandro III. indigna quæq; per-  
pessus est, qui eundem excommunicatum Venetiis per Tyrannidem



midem summam cōegit præ templi foribus procumbere, & se  
pedibus nequissimi Pontificis calcandum exhibere, insultans  
insuper his verbis: Super aspides & basiliscos ambulabis. Or-  
to de Jur. publ. c. 5. Schönb. l. 5. Polit. c. 10. Peucer. l. 4. Chron.  
p. 905. Idem Fridericus I. quod in paleâ Constantinus dist. 96.  
dicitur: ut imperator frenum equi Papæ tenens pro reverentiâ beati  
Petri stratoris officium ei exhibeat; suo exemplo comprobavit,  
gravissimè enim objurgatus est à Pontifice, quod descendenti  
sibi de equo sinistram non dextram stapedem tenuisset. Dress.  
d. tract. Sic etiamnum ad turpissima pedum oscula adigun-  
tur Imperatores. Sed ad hæc & similia parata est responsio:  
quod nimirum imperatores quotquot Papæ se submiserint  
partim id fecerint metu tyrannidis Pontificiæ, partim verò ex  
nimia superstitione. Dress. d. l.

40.

At aliud telum in nos evibrant Pontificii contortum ex  
juramento Caroli M. ut & reliquorum Imperatorum Papæ  
præstito. Primum quod attinet, tale est: *Ego Carolus imperat. in  
nomine Christi spondeo me protectorem & defensorem fore hujus san-  
ctæ Romanæ ecclesiæ quatenus divino fultus fuero adjutorio.* Arnif. de  
Jur. Majest. l. 1. c. 5. n. 3. Id. de Transl. imper. n. 34. **Reinkingf.**  
de reg. secul. l. 1. class. 2. c. 5. n. 2. **Liebenthal/** Exercit. Pol. 7.  
quæst. 3 **König** in Theatr. Polit. part. 1. c. 18. n. 27. Alterum ab  
Ottone I. Johanni XII præstitum refertur in *c. Tibi Domino*  
*dist. 63.* Utrumq; Papæ a seclæ interpretantur juramentum  
fidelitatis, Clementis V. auctoritatem secuti in *Clement. unic.*  
*de Jurejurando.* Verùm longe aliud est protectionis seu defensio-  
nis, aliud fidelitatis aut subjectionis juramentum, illud patrocini-  
nii, hoc servitutis inducit speciem. **Reink.** d. l. n. 6. **Liebenth.**  
*Arnif. de Transl. imp. König* d. l. n. 32. Prioris autem generis  
esse ducim; allegata imperatorum juramenta subnixi decreto  
Electoralis supr. citat: quo ordinatum est ut Imperator præ-  
stet Pontifici & Ecclesiæ devotionis & humilitatis, non fide-  
litis, homagii aut subjectionis juramentum, quia temporalis  
dominii Papa imperatori nihil tribuit, imo ecclesiæ omnia  
sumpsit



sumpsit ab imperio. *Clut. in Syll. th. 4. l. k. Et quis in ullâ fidelitatis forma vidit promitti Domino à vasallo protectionem, quin potius contrarium usu venire cernimus. Arn. d. tract. n. 35. Porro juramentum vasalli respectum includit ad Dominum Feudi, aliâs assecurationis dicitur. In utroq; autem juramento neutrius fit mentio, ergo cum promissoria sint, operantur intensivè non extensivè. Reinß. d. l. n. 10.*

41.

Adducunt adversarii *c. unic. tit. 100. l. 12. Feud.* ubi dicitur quod Imperator soli Deo & Pontifici Romano fidelitatem debeat. *Resp. d. c.* intelligendum de eo casu, quando Imperator præter imperium feudum tenet à Pontifice: tum enim duplicem sustinere potest personam, quod apparet exemplis Caroli V. qui regnum Neapolitanum in feudum à Pontifice accepit. Item Regis Daniæ qui ratione Holsatiæ est vasallus imperii. rectius itaq; cum Bodino l. 1. de republ. c. 9. statuimus, Pontifices Imperii Romani vasallos esse, quod imperatorum largitione nobilissimas ditiones teneant. Eat nunc Innocentio 2. & Lotharium Saxonem quasi vasallum ad pedes suos prostratum & imperii coronam à se recipientem depingat ascriptis versiculis

*Rex venit ante fores jurans prius Urbis honores*

*Post homo fit Papæ sumit quod ante coronam.*

Displicuit hæc pictura quàm maximè Friderico I Imperat: Nam Papæ hominem fieri idem erat ac servum & subditum, proinde deleri eam voluit, quamvis non impetravit. *Clut. ibid. Arnif. de Tr. imp. n. 6. Reinß. d. l. n. 1. König. d. l. n. 4. Liebentz. d. l.*

42.

Nec verò quicquam superioritatem Papæ astruit argumentatio Adriani 4ti, in epistolâ ad Fridericum I datâ: *Romæ nostra sedes est, imperator quod habet totum habet à nobis. Aventin. l. 6. Annal.* Illum secuti Pontificii objiciunt, Romam esse caput Orbis, hanc autem patrimonio Papæ subjectam, præterea imperium κατ' ἐξοχὴν de solo Romano intelligi. *Resp. Nullo*

D

cum



cum rubore & robore Papam justum Romæ Dominum asseris; negarunt id ipsum intrepidè Imperatores: Fridericus I. libertatem affectantibus Romanis, scripsit se nec quicquam vocari Romanum imperatorem, si Roma sua non esset: Henricus IV. eandem vestigalem habuit sibiq; mancipavit. *Clut. in Syllog. th. 6. l. d. Reusn. quæst. illustr. 6.* Constantinus quoq; Imperator, sæpius sibi Romam reddi poposcit. *VVaremund. ab Ehrenberg. de regni subsid. c. 1. n. 22. Reint. class. 2. c. 7. n. 107.* Accedit & hoc quod multi Itali scriptores imperatori dominium Italiæ deferant, utpote armis tam Caroli M. quàm Ottonis I. quæsitum. *Sneidvvin. in proëm. Inst. ad rubr. n. 8. Hænonius disp. Polit. 3. th 8.*

43.

Non vero mirum cuiquam videri debet, quod *Raldus* quodam in loco scribat: *Imperii Romani verticem & centrum esse Pontificem*: cum enim in ditionibus Papæ subjectis viveret, necesse habuit profiteri, quæ ad palatum ejusdem facerent jura adagium: *Decet coquum Domini sui gulam habere.* Idem de Oldrado, Salyceto, Lancellotto & reliquis Pontificiis adulatoribus esto judicium. Quod autem postea Roma sub jugum Pontificium redacta sit, id de facto, nullo jure contigisse quis videt. Deinde ridiculum admodum est à certo quodam loco majestatem imperii metiri velle. *Imperium enim non urbis sed orbis circulo includitur: Arum. tom. i. disc. acad. 3. Et sequitur forum ac curiam imperatoris. Arnif. d. tract. Clut. in Syllog. th. 6. l. d. f.* Hinc Constantinus sedem imperii transtulit Bizantium, & nihilominus retinuit jus nomenq; Imperatoris Romani. Sic reliqui Constantinopolitani Cæsares hunc titulum mordicus tenuerunt, teste vel solo Justiniano in ll. suis passim. vid. *Schönb. l. 5. Polit. c. 4. in f.* Hodie quoq; sedes imperii in Germaniâ figitur, nemo tamen dubitat, quin Imperator modernus rectè dicatur Romanus.

44.

*VI. A Transactione Imperatorum Constantinopolitanorum cum Carolo M.* Illi enim tum temporis veri Domini

mini



mini erant Occidentalis imperii & Pontifices Romanos subditos habebant; quod *Leo 3.* ipse fatetur, dum in oratione sua coram Carolo M. habita dicit: *Debuisse se quidem ad Imperatoris sui (Constantinopolitani vid.) fidem auxiliumq; confugere, sed hoc facere non potuisse quod plus incommodi sibi inde expectandum viderit.* *Elias Reusner. q. illust. 6. Otto c. 5.* Quomodo itaq; occidentale imperium in Carolum transferre potuit Papæ, quod ipse non habuit? *argumento l. 54. Nemo plus de R. I.* Quin potius Carolus M. ut jus sibi quæsitum magis magisq; stabiliret, neve dominii alieni usurpati reus perageretur, legatos ad Orientis Imperatores alienatione Occidentis offensos misit, eorumq; animos delinivit, ut imperium, quod propter loci longinquitatem tueri non poterant, ei tandem concesserint. Inita autem est hæc Transactio Anno Christi circiter 803. constitutumq;, ut Carolus omnesq; ejus posteri nomen ac titulū Romani Imperatoris in Occidente veteriq; Romā gererent; Nicephorus verò & ejus successores Imperat. novæ Romæ in Oriente audirent. *Dresser. d. tract. Mellific. Pezelii, part. 3. in vit. Carol. M. Clut. in Syllog. th. 4. l. 1. Schönb. l. 5 Polit. c. 4. f. Liebenthal. Exercit. 7. quæst. 4. Otto c. 5. Reusn. quæst. 6. Arum. tom. 1. dis. acad. 3.* Quare autem in transactione hæc erigenda ita Carolus M. allaborasset, si penes Pontificem facultatem transferendi imperium residere credidisset?

45.

*VII. A Pontificia translationis Imperii incertitudine.*

Nec enim *Innocentius 3. in c. venerabil. de elect.* nec *Clemens V. in Clement. unic. de Jur. jurand.* authorem vel tempus ejusdem exprimere potuerunt. Hinc quoq; glossatores in diversa abierunt: *Alii* id ipsum Stephano Papæ ascribunt, qui imperiū transtulerit in Pipinum Caroli M. patrem Anno Christi 753. *Alii* Adriano IV to tribuunt: *alii* deniq; Leoni 3. quod postremum hodie pleriq; Pontificii sequuntur. Quamvis adhuc scrupulus alicui suboriri possit, cum in famoso illo libro Venetiis publici juris facto, cui titulus: *Paparam, Imperat. Reg.*

D 2

specu-



speculum, author Translationis Imperii, Stephanus perhibea-  
tur. *Flac. Illyr. de transl. imp.* Non autem fit verisimile, tam  
clarum negotium, si modo unquam contigit adeò tenebris  
ignorantiæ & oblivionis involutum, ut adeò dissona ac con-  
traria ipsi Pontificii scriberent: Pugna itaq; narrationum  
huius figmenti vanitatem liquido demonstrat.

46.

Postremum mantissæ & coronidis loco error *Bodini* re-  
fellendus est, qui lib. 1. de Republ. c. 9. & in Method. histor. c.  
7. asserit; Imperium in personâ Caroli M. ad Gallos, non ve-  
rò Germanos translatum, priusq; fuisse Monarchiam Galli-  
cam quàm Germanicam utpote quæ post 200 demum annis  
in Ottone I. ceperit. *Resp.* Falsam fovere hypothefin *Bodi-*  
*num* dum Gallos & Francos eosdem esse existimat; multum  
etiam differunt, etiam germanico idiomate, **Francen** &  
**Frangosen.** *de Jur. publ. c. 5. Liebenthal. Exercit. 7.*  
*quæst. 5.* Quin etiam ipse *Hottomannus* natione Gallus in suâ  
*Francogallia c. 4.* Franciam eam regionem esse ait, quæ inter  
*Albim & Rhenum* interjecta oceano alluitur. Cum itaq; in  
quæstione quâ cujas quis sit quæritur, locus nativitatis inspi-  
ciendus sit, *argumento l. 1. ff. ad Municip.* & constet *Carolun-*  
*M.* ex Franciâ oriundum, frustra hunc sibi Galli vendicant, ut-  
pote Germanum patriâ, linguâ, habitu, morumq; integritate  
ac dexteritate. *Cuspin. in vit. Caroli M. Lupoldus à Babenberg,*  
antiquus historicus Francogermanum eundem vocitat. vid.  
*Otto de Jur. Publ. c. 5. Arum. tom. 1. disc. acad 3. Arnif. de*  
*Transl. imper. n. 33. Liebenth Exercit. 7, quæst. 5. Sleid. de*  
*4. Monarchiis. l. 3. in pr. Chron. Carion. in vit. Caroli M.*  
*Clut. in Sylloge th. 4. l. a.*

47.

Constat itaq; Romanum Imperium divinâ favente cle-  
mentiâ, tum jure belli, tum S. P. Q. Romani voluntate, electio-  
ne & suffragio, tum Imperatorum Constantinopolitanorum  
transactione per *Carolun M.* ad Germanos translatum, & pe-  
nes eosdem etiamnum factum rectum manere.

QUÆSTIO



## QUÆSTIO II.

*Electorale collegium quando & quo autore  
in Rom. Imperio cœperit?*

### THESIS I.

**N**on abhorret vicinitatem prioris hæc quæstio, quæ multorum Historicorum ac Politicorum ingenia variè torfit ob nimiam perplexitatem & meras conjecturarum nebulas: Delio hic urinatore opus est; ego Davum me non OEdipum profiteor. Interim quid mihi juxta historiam temporum materiam hanc consideranti videatur, libere exponam.

2.

Principiò quidam originem electorum jam inde à Carolo M. repetunt, inter quos est *Jordanus de Transl. imper. & Spangemb. in Chron. Saxon. c. 86.* ubi refert, 4 electores ab eo institutos tres verò Archiepiscopos, Moguntinensem, Coloniensem, Trevirensensem, & unum comitem S. Palatii ad Rhenum. 2. Alii stirpe Carolinã in Ludovico 4to extinctã prædictis 4. electoribus duos Saxonum principes additos testantur, *Reusn. quæst. illust. ult.* 3. Pleriq; tamen in Ottonẽ 3. conspirant, eiq; creationẽ septemvirum tribuunt. *Naucerus Generat. 34. Cusanus in Concord. cathol. c. 4. Marsil. Patav. de transl. imper. c. 11. Platini in vit. Greg. V. Flac. Illyric. de Transl. imp. Sleid. de 4 Monarch. l. 3. Sciffereus de Elect. th. 4. Otto de Jur. publ. c. 10. Clut. in Syll. th. 24. l. b. Liebenth. Exercit. 9. q. 1. & alii quamplurimi.* Quamvis non desint, qui in contraria castra transcant. Sic 4. *Peucerus lib. 4. Chron. p. 769. Friderico I. 5. Aventinus l. 5. Annal. FRIDERICO II. 6. Bellarminus l. 3. de Transl. imp. c. 3. GREGORIO V. Pontifici. 7. Onuphrius Panvin. lib. de comitiis GREGORIO X. 8. quidam RVDOLPHO I Imperatori. 9. quidam CAROLO IV. 10. quidam deniq; inveteratæ consuetudini erectionem Collegii electoralis acceptam ferunt; ut verum hic sit Poëtæ illud:*

*Velle suum cuiq; est nec voto vivitur uno.*

3.

Attamen si accuratiore judicii lance prædictæ opiniones

D 3

trv.



trutinentur, magnâ ex parte divinatoriæ apparent. Nam I. illud de Carolo M. parum est plausibile, cum constet Monarchiâ Romanâ per eum ad Germanos translata imperium in stirpe Carolinâ & Ottonis I. hereditariâ successione, non vero liberâ principum electione fuisse fundatum. *Arnif. de stat. imp. Roman.* II Opinio æque infirmo talo nititur, cum de eo nullus probatorum historicorum exstet consensus, proinde in re non satis compertâ nihil temere affirmandum.

4.

III Opinio partem veri continet: negari enim nequit, OTTONEM III Imperatorem divina quadam providentiâ primum quasi lapidem collegii electoralis posuisse. Cum enim hæredes ex se descendentes masculos non haberet, videretq; Gallos, item Italos monarchiam Germanis invidere, & imperii majestatem ad suos transferre conari. Insuper ipsam Germaniam ob electionem Cæsaris variis intestinorum motuum procellis miserè quassatam, Pontificum quoq; Romanorum tyrannidē dissensionibus hisce quàm maximè crevisse, ex consilio Ordinum imperii sapientissimè constituit; Jus ac potestatem eligendi Imperatorem Romanū ex solis Germanis & penes solos Germanos in perpetuum permanere, imperiumq; non successione amplius propagari, sed suffragiis tradi debere. *Reusn. quæst. illust. ult. Clut. in Syllog. th. 24. l. (b). Dresserus in confut. Bellarm. de transl. imper. Liebenth. Exercit. Polit. 9. q. 1.*

5.

Cæterum OTTONEM III non certis ordinibus aut familiis jus electionis assignasse vel inde patet, quod successores ejus quotquot ad FRIDERICUM II. usq; rerum sunt potiti cunctorum ordinum imperii, ut & populorum quorundam electione Cæsareæ majestatis fastigium conscenderint. *Otto Frisingens. l. 6. c. 27. & l. 8. c. 12. Sigebert. in Chron. ad Annum 1126. Reusn. d. quæst. Schönb. l. 5. Polit. c. 32. König. Theat. Polit. part. 1. c. 34. n. 4. Besold. l. 2. dissert. nomicopolitic. 3. n. 3.* Verisimile tamē est quosdam imperii Status autoritate & potentia præcellentes ab OTTONE III. constitutos, ut electionem deinceps imperatoris futuram veluti principes senatus moderarentur & reliquo-



liquorum Ordinum trutinarent ac propalarent vota. **Reinf.**  
de Reg. secul. l. 1. clafs. 4. c. 3. n. 8. *Besold.* d. dissert. n. 5. *Limn.*  
de Jur. publ. l. 3. c. 1. 6.

Quod autem OTTONIS III sanctionem attinet de electoribus, quâ Principes sex, sacri ordinis tres, prophani totidē designantur, quibus si discordes fuerint Rex Bohemiæ adjungitur, referente *Goldast.* tom. 3. *Constit. imper.* p. 371. eadem saniori Polyhistorum & politicorū calculo suspecta arguitur ipseq; *Goldastus* in **Reichshandlung** hujus est sententiæ. vid. *Paurmeist.* de Jurisd. l. 2. c. 2. n. 38. *Schonb.* l. 5. *Polit.* c. 32. Et sane nullus antiquorum historicorū hujus constitutionis mentionē facit teste *Onuphrio Panvino.* tract. de comitiis. vid. *Flac. Illyr.* de transl. imp. c. 5. *Limn.* d. l. Tum quoq; subdititia vel inde apparet, quod Regem Bohemiæ exprimat, qui tamen tantum abest, ut tempore OTTONIS III in electorum numero fuerit, ut etiam nondum regium nomen tenuerit. *Reusn.* d. quæst. Constat enim regem Bohemiæ demum sub FRIDERICO I Imperat. inclarescere cepisse. *Bodin.* l. 1. de Rep. c. 9. f. Nec historia temporū patitur eundem statim electoribus adjectum, utpote cum Bohemia tum potissimum non usq; adeo firmiter imperio adhæserit, & imperatoribus plurima bella intulerit. *Heig.* quæst. 3. n. 43. Quamvis igitur bene multi historicorū & Politicorum institutionem Collegii electoralis OTTONI III tribuant, tamen ut in aliis testimoniis, ita hîc quoq; non tam spectanda multitudo & quantitas, quàm qualitas ipsa. Et pauciorum vel singularis opinio fortiori rationi subnixa communi potior esse debet. *Lim.* d. l. n. 6.

7.

IV. Qui FRIDERICO I hoc factum tribuunt; næ illi vehementer errant. Nullus credo adeo hospes in historiis est qui non norit tam hunc, quàm ejus successores ab universis imperii principibus, ut & nationibus quibusdam in Imperatorem subvectum. *Rönig.* d. l. n. 4.

8.

V. Consimiliter divinatoria eorum est opinio, qui Fridericum 2. Imperat. fundatorem sacratissimi Electorum collegii faciunt,



faciunt, docent enim annales vetusti in hujus quoque electione nondum reliquos imperii Status fuisse exclusos. Quamvis fieri cogamur circa hujus ferè tempora attritis & extinctis familiis præcellentioribus, principibusque propter intestina dissidia minus frequenter ad Electionem Cæsaris comparentibus; insuper perperam elicitis à seditionum cinifionibus promiscuis suffragiis, utilissimum visum fuisse in strictius Electorum concilium rem totam revocare. *Reinf. d. l. Clut. d. l.* Cum vero Archiepiscopi, Moguntinensis, Coloniensis, Trevirensis, item Palatinus Rheni, Saxo & Brandenburgicus in imperii dignitate tuenda, eligendoque Cæsare semper constantes permanerint, interdum etiam regem Bohemiam assumpserint, quod in conventu Wurtzeburgico Anno Christi 1209 accidisse, *Cranzsius* author est: Facile evenire potuit, ut hi potissimum cæteris exclusis sibi jus eligendi imperatorem arrogarint, præsertim cum autoritate & potentia præstiterint.

9.

Merito igitur reprehendenda hic est ignavia historicorum ejus sæculi tam Italorum quam Germanorum, quod rem tanti momenti nullis litterarum monumentis consignarint. Interim hoc certò constat, post Friderici 2di tempora numerum septenarium expressisse, & familias suffragantium annotasse historicos, *Aventin. lib. 5. Annal. Onuphr. Panvin. tract. de comit.* Sed quid attinet in originem Electorum superstitione inquirere, cum in vetustis initium facile ignoretur *l. 28. D. de Probat.* Hinc quoque communi DD. sententiâ hodie receptum est, non certo aliquo imperatorum vel imperii universi decreto Collegium electorale constitutum, sed tacito consensu & patientia principum paulatim irrepsisse interveniente prolixitate temporis memoriam hominum superantis, quo titulo nullus melior nec validior invenitur. *Schonb. libr. 5. Polit. c. 32. Paurmeist. de Jurisd. imp. Roman. l. 2. c. 2. n. 38. Linn. de Jur. publ. l. 3. c. 1. n. 19. Dresser. in confut. Bellarm. de Transl. imp. Buxtorff. ad A. B. conclus. 14. Coler. de Jur. imper. Rom. th. 45. & seqq. Bartram de comitiis apud Arum. th. 29. Arum. disc. 3. ad A. B. conclus. 5. Heigius part. 1. quaest. 3. n. 70. Reusn. quaest. illust.*



Illustr. ult. *Admig* Theatr. polit. part. 1. c. 34. Confirmat hanc  
sententiam quod CAROLUS IV in A. B. de jure electorū agens  
nullius sanctionis, sed tantū usus longævi & laudabilis con-  
suetudinis mentionem faciat. Vid. Aur. Bulla c. 1. §. 1. c. 2. §. 5.  
c. 4. §. 2. Sic & Innocentius 3. Pontifex in c. *Venerabil.* X. de e-  
lect: Jus ac potestatem eligendi Imperatorem principibus de  
jure & antiqua consuetudine competere ait.

10.

Quod autem idem Papa in dictâ decretali subjungit: hoc  
ad Principes Germanos ab Apostolica sede pervenisse, veritati quā  
maximè bellum indicit: 1. enim Pontifici utpote personæ  
merè ecclesiasticæ nequaquam fas est, Politico regimini se im-  
miscendo falcem in alienam messem mittere; quin potius se-  
cundum Pauli monitum, *qua quisq; positus est statione maneat.*  
Cum verò electio imperatoris actus plane sit secularis, quan-  
docunq; Papa partes suas interposuit, ab officio recessit, & fu-  
nestissimas seditionum faces in imperio accendit. 2. Nullus  
Pontificum jus eligendi imperatorem habuit; antequam enim  
id ipsum electoribus acquireretur, penes populum & proceres  
imperii fuit. Absurde itaq; potestatem aliis concedit, quā  
ipse caret, *argumento l. 54. de R. I.* II.

VI. & VII. Opinioni, quā Gregorio V Papæ à Bellarmino  
lib. 3. de Transl. imp. c. 4. sive Gregorio X ab *Aventino* lib. 7. An-  
nal. p. 436. & *Onuphr. Panvin.* tract. de comitiis, institutio Ele-  
ctorum assignatur, plus vanitatis quā veritatis, plus stolidi-  
tatis quā soliditatis inesse experimur. Et quidem figmen-  
tum de Gregorio V vel inde satis refutatur, quod is Romā per  
seditionem consulis Crescentii pulsus exsul ad OTTONEM III  
confugerit, qui tumultuantes Romanos obsidione cingens  
Gregorium pristinae dignitati restituit. Si itaq; non alia re sal-  
tem pudore prohibitus fuisset, ne collegiū Electoris instituen-  
do suo patrono & imperatori sese præferret honoremq; illi  
debitum præriperet. *Reusn.* quæst. illust. ult. *Dress.* in confut.  
*Bell.* de Transl. imp. *Flacius Illyr.* d. 1. Quin ipse Cardinalis *Cu-  
sanus* in Concordant. suā catholic. ut & *Onuphr.* tract. de comit.  
disertè testantur se nihil tale apud authent. authorem legisse.

E

Cum



Cum itaq; hanc fabulam de Gregorio V ipsi Pontificii præsertim neoterici refutent & explodant, quod est quod in refellenda ea ulterius desudemus? Nec Bellarmini rationes tantæ sunt, ut longam refutationem mereant. Potissima hæc est; Imperatorem quod ipse facere non ausus sit, ut reliquos Principes ab electione excluderet, à summo Pontifice postulasse. Risu sane magis quam stomacho prosequenda hæc probatio. Ineptum maxime est imperatorem facultatem quid immutandi in imperio à Papa emendicare; cum hic illius sit subditus, nihilq; juris in seculari regimine habeat. Tum etiam si injusta fuit electionis restrictio, quod tamen minime concedimus, Pontifex eandem justificare non potuit. Hoc tamen Romanistis facile largimur Gregorium V cum aliis imperii principibus suasorem OTTONI III. exstitisse, ut exclusis Italis electionem imperatoris ad solos Germanos transferret. Fuit enim dictus Pontifex ex familiâ Saxonica oriundus & OTTONIS III. adgnatus. *Reusn. quæst. ultim. Buxtorff. ad A.B. th. 14. l.f. Otto de Jur. publ. c. 10.*

Sed quoniam hæc non succedit, aliâ rem aggrediuntur via Pontificii & GREGORIUM X Electorū collegium fundasse auctumant, idq; in concilio Lugdunensi: *Onuph. Panv. tract. de comitiis. Verum facile quoq; hæc opinio jugulatur. Haud enim probabile est tam egregium factū celeberrimo loco editū hominum memoriam in tantum subterfugere potuisse, ut nulla ejusdem documenta exstarent. Porro dictum concilium in mediâ Galliâ habitum est, ut magis credendum sit, Gallos non permissuros fuisse tantam prærogativam imperatoris electione Germanis concedi, quibus imperiū vehementissime invidabant. Flac. Illyr. de Transl. imp. Argumento est & illud, quod nullus qui Pontificū vitas descripsit, constitutionis hujus Gregorii X meminerit. Ipse Platina Paparum studiosissimus hic silet. Bonifac. quoq; VIII non multo post Gregorii X 6tum Decretalium colligens licet multa hujus Papæ decreta inibi referat, tamen palmarii hujus decreti de electorum constitutione ne minimum apparet vestigium, quod ipsum vanitatem*

ejus-



ejusdem manifestò arguit. Deniq; Onuphrius antiquitatum indagator acutissimus quamvis divinet Gregorii X auctoritate constitutos electores, tamen ingenuè fatetur, quo potissimum anno vel à quo Pontifice vel quo Germanorum principum conventu id ipsum factum, sibi incompertum esse, referente *Flac. Illyr. de transl. imper. c. 5. König Theatr. polit. part. I c. 34.*

14.

Quod verò *Onuphrius tract. de comit. c. 6.* legatum Pontificis & quosdam Italiae principes imperatorem olim elegisse testatur, in eo insignem veritati injuriam facit. Ipse *Innocentio III super alleg. Decretal. legatum Apostolicum ab electione Cæsaris arcet, & licet interdum eidem interfuerit, quod in designatione Lotharii accidisse legimus; tamen spectatoris non vero electoris personam egit. Dresser. in confut. Bellarm. de transl. imper. Laudatissimi quoq; imperii principes Pontificiæ insolentiæ se animosè opposuerunt. Cum enim Pius II Papa Archiepiscopum Moguntinensem cogere vellet, ut se juramento obstringeret sedi Romanæ, ne unquam nisi consulto prius Pontifice Moguntinus pro jure antiquo sibi competente electores convocaret, hic auctoritatem & libertatem electorum defendendo fulmine excommunicationis percussus est, sed à Friderico Palatino defensus. Peuc. l. 5. Chron. pag. 946. Dresser. d. l. *Lim* d. l. n. 23. Summariè ad auctoritatem omnium eorum, qui à Pontifice originem electorum deducunt, respondemus, testimonium hoc esse domesticum, cujus fides jure improbetur §. 9. l. de testam. ordinand. Item l. Omnibus. C. de testibus.*

15.

VIII. Nec in eorum sententiam pedibus concedere possumus, qui *RUDOLPHI I* tempore septem viros imperii cepisse asserunt. Notum enim est antecessori ejus *WILHELMO* Hollandiæ Comiti regimen ab Electoribus assignatum. *Peucer. l. 5. Chronic. Schönb. l. 5. Polit. c. 32. König. d. l.*

16.

IX. Omnium verò turpissimus eorum est error, qui ante *CAROLI IV* tempora concilium Electorum non fuisse, sed ab

E 2

20



2  
22  
TK  
1526  
eo sanctione pragmaticâ A. B. demum introductū somniant;  
verba enim A. B. reclamant, & manifestum est Adolphum,  
Nassoviens. Albert. Austriac. Henricum 7. Ludovicum Bavar:  
Frid. Aust. Caroli IV. antecessores, imperatores ab electori-  
bus creatos. Schönb. d. l. f.

17.

Concludimus itaq; Collegium electorale primitus non  
certo aliquo Imperatorum vel imperii decreto introductum  
fuisse, sed divinâ quâdam providentiâ, interveniente tacito  
principū seu procerū Imperii consensu & longi temporis cur-  
su seu consuetudine paulatim incrementa sumpsisse, ac subin-  
de privilegia Electorum magis constituta & roborata usq; ad  
Auream Bullam Caroli IV. Imperatoris, qua plenaria potestas  
eorum confirmata est.

### Ἐπιτάφια.

1. Romanum Imperium non est feudum Romani Pontificis, neq; aug-  
stissimus Imperator ejusdem vasallus.
2. Papa neq; directè & jure divino, neq; indirectè & jure humano  
est Dominus mundi seu totius orbis Christiani.
3. Papa non habet potestatem mundana regna donandi, adimendi &  
transferendi.
4. Potestas civilis spiritali in temporalibus non est subjecta.
5. Ecclesiasticum & politicum regimen ab unâ eâdemq; personâ non  
est administrandum.
6. Hereticis fides data est servanda.
7. Romani Imperii status nec merè Monarchicus, nec merè Aristorati-  
cus est, sed Monarchicus Aristocratiâ temperatus.

FINIS.



B. h. II, 57.

h. 8, 19.

DISI

TR  
NE

A GR  
DE

*In flo*

VVII

Pr

BEE



Ex Offici

O - Po -

II R  
1526

TIO.  
PERII

NOS ET  
EGII

*ergensi*

RINI

lici

MAN

R MANNI,



Kodak

LICENSED PRODUCT

3/Color Black

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Inches

Centimetres

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

